

# EPISTULA LEONINA

## XLV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

ECCE IANUS BIFRONS !



Epistula anno MMXI ineunte edita

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:  
<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUAAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
 QUADRAGESIMAM QUINTAM (45) !

## ARGUMENTA

**DEO IANO OVIDIUS QUAE DICAT IN FASTIS. – ORATIO, QUAM IN ANNUM INEUNTEM HABUIT ANGELA MERKEL CANCELLARIA GERMANIAE – LEON DE WINTER: EURONEM ESSE ABOLENDUM – SENTENTIOLA AUGUSTI: ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ – ERASMUS: »FESTINA LENTE« ADAGIUM. - VOCABULA DOMESTICA (IX) – VOTA IN ANNUM MMXI INEUNTEM DICENDA.**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS



SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*valdē gaudeo, quod anno 2011 ineunte mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quadragesimam quintam.*

**Primo** loco Tibi offero versus, quos OVIDIUS scripsit IANO DEO BIFRONTI, qui simul spectat ad annum praeteritum et futurum.

**Secundo** loco Latine reddidi orationem ANGELAE MERKEL cancellariae Germaniae in annum ineuntem habitam. Eadem nobis affirmat euronem omni modo conservandum atque confirmandum esse.

At **tertio** loco LEON DE WINTER Batavus auctor fabularum flagranter flagitat, UT EURO ABOLEATUR. Verumne abolenda est haec moneta Europaeorum communis? Quid sentiunt homines oeconomiae docti? Eheu ipsi doctissimi non inter se consentiunt: Eorum quoque alii aliter sentiunt! Tu, cara lectrix, care lector, butyrum et mel comedere, ut scias reprobare malum et eligere bonum. Plurimum autem verbis efferendum est illum Batavum commendasse, ut *lingua Latina fieret lingua constitutionis Europaeae communis*. Hoc quidem placet!

At si graviora sunt decernenda, ne nimium festines: Festina lente, i.e. σπεῦδε βραδέως, ut aiebat AUGUSTUS imperator illustrissimus. **Quarto** loco legas, quaeso, haec verba Augusti eaque, quae doctissimē atque facetissimē de iisdem scripsit ERASMUS ROTERODAMUS in adagio prolixo.

**Quinto** loco Tibi offeram multa verba nova secundum praeceptum Ciceronis novis rebus imposta: VOCABULA DOMESTICA IX. Agitur de

*supellectilibus domesticis. Eheu quot genera sunt ! quot partes! Quantae molis est iisdem omnibus nomina Latina imponere!*

*Loco autem **sexto** et ultimo restat, ut Tibi, cara Lectrix, care Lector, vota quam optima prosequar in annum ineuntem dicenda.*



*Festīna lentē et pancraticē vale et perge mihi favere!*


**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d.6. m.lan. a.2011**



**IANUS DEUS.** ca.220 a.Chr.n. Museum historiae artis figurativaे Vindobonense.

**Iane biceps, anni tacite labentis origo,  
 solus de superis qui tua terga vides,  
 dexter ades ducibus, quorum secura labore  
 otia terra ferax, otia pontus habet!  
 dexter ades patribusque tuis populoque Quirini  
 et resera nutu candida templa tuo!  
 prospera lux oritur, linguis animisque favete!  
 nunc dicenda bona sunt bona verba die.  
 lite vacent aures, insanaque protinus absint  
 iurgia! differ opus, livida turba, tuum.**

**P. OVIDIUS NASO**  
 Fasti I 65-74

**Oratio, quam in annum 2011 ineuntem habuit  
Angela Merkel cancellaria Germaniae  
rei publicae foederalis**

*In Latinum convertit Nicolaus Groß.*



**Angela Merkel Germaniae cancellaria foederalis Berolino in urbe  
orationem in annum ineuntem habens.**

**BEROLINO EX URBE.** Angela Merkel Germaniae cancellaria foederalis, quae est partis christiano-democraticae (CDU), homines Germanienses adhortata est, ut anno 2011 adversus crisin euronis gravem praestarent communitatem et sumerent animum. Ab agentura dpa integra oratio reddita est:

**«Carae concivissae<sup>1</sup> concivesque,**

sinite dicam omnino apertê: Ante unum annum, cum ipso in hôc loco sederem coram vobis dicens, ad futura prospexi animo quamvis bene confidenti, tamen quadamtenus incerto, nam terra nostra funditus inhaesit discrimini pecuniae oeconomiaeque. Quod fuit discrimen ex plus 60 annis gravissimum. At licet fuerint iustae sollicitudines – hic annus Germaniae feliciter transactus est.

Necnon de hac re imprimis licet gaudere: Numquam in Germaniâ unitâ plures homines opere fuerunt quam hodie. Numerus enim hominum opere vacantium ex 20 ferê annis est minimus.

---

<sup>1</sup> orig. „Liebe Mitbürgerinnen und Mitbürger“. cfr Peter Stotz, Handbuch zur lateinischen Sprache des Mittelalters, t.5: Bibliographie, Quellenübersicht und Register, Verlag C.H. Beck, München 2004, Wortregister, p.578: „concivissa, ae ‚Mitbürgerin‘, VI,37,4“.

Vix ulla alia terra discrimen tam bene superavit quam Germania. Quae assequi animum induxeramus, ea sumus assecutae: immo discriminine superato plus valemus quam antea. De hac autem re cum alii tum praecipue vos meritae estis, caraे concivissae concivesque.



**Angela Merkel Germaniae cancellaria foederalis Berolini orationem in annum ineuntem habens.**

Germaniae res tam bene succedit, quia vos cottidie facitis opera vestra. Vos iam bene mane naviter laboratis. Vos facitis vices operarum<sup>2</sup>, diebus Dominicis et festis. Vos curatis mandata et cooperatores. Vos superatis difficultates vitae vestrae cottidianaе, quantaecumque sunt. Nos omnes munera praestitimus enormia. Nos expertae sumus, quanta fieri possent.

Hoc est magni momenti, nam nos Germani ipsi non semper scimus, quibus in rebus maximè valeamus. Grex noster pedifolliaris<sup>3</sup> in Africâ australi verê mirabiliter praestitit has virtutes ipsissimas, quibus plurimum valemus: industriam et disciplinam, multiplicem inventionem et sollertia excellentissimam.

Quoad pedifolium liceat adiungere hoc unum: Grex noster mulierum proximo anno futuro, quo in Germaniâ fiet certamen mundanum, vincere volet tertium. Nobis adivantibus lustrices<sup>4</sup> nostrae reverâ hoc assequentur. Evidem iam laetor de lusu initiali Berolino in urbe faciendo.

At licet rebus bene confidamus: etiam tempore futuro necesse erit, ut virtutes nostras praestemus easque non solum in rebus pedifolliaribus. Ipsiis his mensibus firmitas Europae ad obrussam exigitur<sup>5</sup>. Nos oportet stabiliamus euronem. Euro enim multo plus valet quam aliqua moneta currens<sup>6</sup>. Nos Europaei – feliciter factum est, ut inter nos uniremur. Nam

<sup>2</sup> vices operarum, orig. Schichtdienst. Angl. change of shift.

<sup>3</sup> \*pedifolliaris,-e: ad \*pedifolium spectans. \*pedifolium,-i n. orig. Fußball, Angl. soccer.

<sup>4</sup>\*lustrix,-icis f. Theod. Spielerin. Euphoniae causâ littera t interseritur (lus- + t + rix; cfr PRISC.gramm.III463,11-20). cfr nomina agentis feminina, quae sunt: defenstrix CIC.ap.PRISC.partit.XII vers.Aen.1,16; pranstrix; curstrix; tonstrix; possestrix; suastrix; divistrix; fostrix; rastrix e.al.

<sup>5</sup> orig.: „Europa steht ... inmitten einer großen Bewährungsprobe.“ - cfr CIC.Brut.258 adhibenda tamquam obrussa ratio. SEN.ep.13,1 haec eius (animi) obrussa est. SEN.nat.4,5,1 omnia argumenta ad obrussam exigere.

<sup>6</sup> moneta currens Theod. Währung, Angl. currency.

Europa unita cum sit, pax nostra atque libertas praestantur. Euro autem est fundamentum nostrae opulentiae. Germania indiget Europae communisque currentiae Europaeae. Ut nos ipsi valeamus et ut magna munera superemus ubique terrarum.

Nos Germani officia nostra praestamus, etiamsi interdum sunt valde gravia. Militissis<sup>7</sup> militibusque nostris in Afganistaniâ stipendia facientibus hōc anno patiendae erant mortes novem commilitonum. Licet nullo verbo dolores familiarum amicorumque de occisis lugentium reverâ minuantur, tamen dicam ex animo: hos homines non obliviscar. Nec obliviscar corpore aut animâ vulneratos. Tantopere spero quam maturimē fore, ut reconvalescant.

Militissae militesque Afganistanienses, cum mihi narravissent se in Natale Domini accepisse epistulas fascesque cursuales a multis, etiam a sibi prorsus ignotis hominibus missos, expressis verbis me rogaverunt, ut vobis gratias agerem. Quod his verbis facio libenter, immo libentissimē.

Carae concivissae concivesque,

ut nos bonâ spe ad futura prospicimus, sic hoc faciunt etiam alii homines aliis in partibus orbis terrarum viventes. Idem quoque deliberaverunt, quibus gradibus processuri essent terrae suae salutem ac prosperitatem augentes. Ideo nos Germanos provocant, ne gradum sistamus.

Itaque gubernatio foederalis christiano-liberalis omnibus viribus id studet, ut anno proximo futuro assequatur metas graviores. Haec nescio an sit gravissima: Curabimus, ut etiam plures homines accipient opus faciendum. Necnon pergemus rem pecuniariam ordinare et vectigalia facere simpliciora. Volumus systema nostrum valetudinis atque curationis melius facere, ut etiam in posterum omnis homo hōc modo sanetur et colatur, quo eget.

Confirmare volumus communitatem in terrâ nostrâ servandam, praesertim inter eos, quorum familiae iam semper hic vixerunt et alias, qui advenae se inserunt<sup>8</sup>societati nostrae.

Nos magnam vim attribuimus notioni Germaniae rei publicae eruditricis: Itaque multos locos studiorum academicorum novos efficimus necnon introducimus tesseras eruditorias<sup>9</sup>, quibus ii parvuli adiuventur, qui usque nunc nimis saepe neglecti sunt.

<sup>7</sup> +militissa,-ae f. orig. *Soldatin.*.. N.B.: In Glossario Ducangiano (Frankfurt/Main 1710, p.612) hoc verbum valet uxorem militis.

<sup>8</sup> se inserere societati: orig.: *sich integrieren.*

<sup>9</sup> orig. *Bildungsgutscheine.*

Nos progredimur ad energiam ratione modernissimâ accipendam, quae non nocet climati et circumiectis, sed pretio est parabilis.

Nos militiae foederalis reformationem, qua eadem redigatur ad copias minores et flexibiliores, eo consummamus, quod in locum officii militaris supponimus militiam voluntariam. Pro munere civili introducetur munus voluntarium. Bene scio has mutationes omnes esse graviores. At iisdem fieri poterit, ut societas nostra foveatur, nam egemus mutuâ necessitudine\* omnium hominum nostri. Quae numquam effici potest a solâ re publicâ. Gratias ago multis hominibus in nostrâ terrâ versantibus, tam iuvenibus quam senibus, qui suâ sponte et saepe inobservati alios homines adiuvent.

Carae concivissae concivesque,

haec omnia spectant ad Germaniam, nostram Germaniam saeculi vicesimi primi. Haec omnia conferunt ad salutem et prosperitatem. Nam salus et prosperitas non solum valent „plura habere“, sed etiam „melius vivere“. Ad hanc rem assequendam egemus vobis: iis hominibus, qui velint aliquid melius facere, qui dicant: „agedum, ubi voluntas, ibi via“<sup>10</sup>, qui consilium capiant bonum idemque audeant ad effectum adducere.

Carolus Popper philosophus dixit: "Res futurae latê patent. Quales sint, pendet a nobis, a nobis omnibus."<sup>11</sup> His rebus cognitis, bonis consiliis conceptis, cum curiositate et fervore et respectu hominum proximorum novas quaestiones solvendas alacriter suscipiamus.

In annum 2011 exopto vobis vestrisque familiis valetudinem et vigorem et animi aequitatem necnon Dei benedictionem.»

Textus originalis invenitur hac sub inscriptione interretiali:

<http://www.bundeskanzlerin.de/Content/DE/Pressemitteilungen/BPA/2010/12/2010-12-30-neujahrsansprache-bkin.html>

---

<sup>10</sup> orig. „'geht nicht' gibt's nicht“.

<sup>11</sup> orig. "Die Zukunft ist weit offen. Sie hängt von uns ab, von uns allen."

ORATIONEM  
AB ANGELA MERKEL  
CANCELLARIA GERMANIAE  
IN ANNUM 2011 INEUNTEM HABITAM  
IN LATINUM CONVERTIT



**LEO LATINUS**  
NICOLAUS GROSS  
<http://www.leolatinus.com/>

**EURONEM ESSE ABOLENDUM**

Scripsit *Leon de Winter*, in Latinum convertit *Nicolaus Groß*.



**Ecce nationales schedinummi\* obsoleti: "Non, hunc non permutabo in euromis"**

Puto me Europam primo ultra limites Bataviae visentem aetate fuisse octo ferê annorum. Pater nobiscum ad Mosellam iter fecit diurnum. Iterum cum hanc regionem viserem, decem annos natus eram. Puer autem quindenarius autobirotulâ<sup>1</sup> circa Belgium vectus sum. Sedecim annos natus dormivi in litore oppidi Sancti Raphaelis Francogallici. Aetate septemdecim annorum Londinii in parte septentrionali quoddam deversoriolum hippianis<sup>2</sup> vagabundis destinatum inhabitans pueras appetebam (quod sat bene mihi successit). Iuvenis vicenarius Pragâ in urbe steti ad sepulcrum Kafcae. Tamen numquam factus sum Europaeus.

Numquam intellego homines quid sentiant dicentes se esse Europaeos. Mihi quidem Europa est eritque nomen geographicum, quod significat quandam terrarum multitudinem, quae sunt proiecturae Asiae occidentalis<sup>3</sup>. Alter ac in Asiâ, ubi nemo serio consilium capiat condere unionem Asiaticam, nonnulli Europaei putant exstare quendam cultum civilem Europaeum, quin floreat totâ ubertate suâ, nisi in Europâ limites prorsus desint. Tales Europaei aliquando voluerunt condere Unionem Europaeam.

Cum in Bataviâ plebis scitum<sup>4</sup> fieret de constitutione Europaeâ scribendâ, ego publicê recusavi hanc constitutionem ideamque

<sup>1</sup> autobiotula,-ae f. orig. *Moped*.

<sup>2</sup> \*hippianus,-i m. orig. *Hippie*. <http://de.wikipedia.org/wiki/Hippie> „Als **Hippies** (abgeleitet von englisch *hip*, „angesagt“) bezeichnet man Personen der gegenkulturellen Jugendbewegung, die in den 1960er Jahren entstand und sich an den Lebensstil der Hipster der 1950er Jahre anlehnte.“ - [http://www.erowid.org/culture/hippies/hippies\\_definition.shtml](http://www.erowid.org/culture/hippies/hippies_definition.shtml) „The term *hippie* (or *hippy*) derives from "hip" or "hipster" used during the late 50s and 60s to describe someone who was a part of the Beat scene. Someone who was *hip to the scene*, or *in the know*.“

<sup>3</sup> orig.: „ein geografischer Begriff für einen Haufen von Landfortsätzen im Westen Asiens“.

<sup>4</sup> plebis scitum, -i n. orig. *Referendum*.

Europaeae civitatis supranationalis<sup>5</sup> condendae. Nequaquam recusavi mentis imbecillitate aut propriae regionis amore immoderato aut odio extraneorum inductus - quamquam mihi obiciebantur ista vitia omnia - sed quia incertus eram, constitutio quid valeret, quam legere non possem linguâ originali scriptam.

### **Onus nationum meridionalium imponi septentrionalibus**

Aliter ac constitutio Americana Unionis Europaeae constitutio ex nihilo constat nisi ex translationibus. At eaedem una ab aliâ subtiliter se differunt – linguae tempore procedente variis rebus historicis variâ mutatae sunt, variis sunt subtilitatibus et distinctionibus – ita factum est, ut haec constitutio omni in terrâ Europae habeat colorem proprium.

**Ubi est textus originalis? Evidem commendavi, ut lingua L a t i n a fieret lingua constitutionis Europaeae. Si hoc fieret, translationes reverâ essent translationes originalis textûs Latini. Absurdum mihi videtur medio huic corpori cultûs civilis inesse vastum hiatum. Date huic constitutioni cor, inquam, cor antiquum linguae cultûs civilis europaeae, ut habeamus aliquid, quo coniungamur, non seiungamur. Nam istud, quod cavendum praemonueram, fieri posse, ut unio evanesceret, quia nemo nisi Europae praepositi talem unionem optaret, quia Europa non esset notio cultualis, sed geographica, istud ipsissimum factum est.<sup>6</sup>**

Num gaudeo factam esse rem a me praevism? Mallem scribere: Horribile dictu, quantum erraverim, pudet me caecitatis meae. At e contrario, ut timueram, praepositi Europae differentias singularum nationum potius auxerunt quam sustulerunt.

Pars Europae septentrionalis, ubi durius laboratur et potius parcitur pecuniae et abies crescent et regiones vastae sunt et cives solent sibi videri rei publicae esse responsabiles, contraria est parti Europae meridionali, ubi fit meridiatio<sup>7</sup> et decimâ demum horâ vespertinâ considitur cenatum et tauri per vias aguntur et boni homines gaudent magistratum certatim deruncinare<sup>8</sup>. Nunc autem propter lèges a

---

<sup>5</sup> \*supranationalis,-e: orig. *supranational*.cfr AAS (Acta Apostolicae Sedis) 53,67: supranationalitas.

<sup>6</sup> orig.: „Wo ist das Original? Ich habe vorgeschlagen, Latein zur europäischen Verfassungssprache zu erheben. Dann wären die Übersetzungen auch wirklich Übersetzungen dieses Originals. Ich finde es absurd, dass sich in der Mitte dieses vermeintlichen Kulturförpers ein gähnendes Loch befinden sollte. Gebt dieser Verfassung ein Herz, sagte ich, ein altes Herz einer europäischen Kultursprache, damit wir etwas haben, was uns verbindet und nicht trennt. Denn das, wovor Leute wie ich gewarnt haben, dass nämlich die Union keinen Bestand haben könne, weil sich abgesehen von den politischen Eliten Europas niemand eine solche Union wünsche, weil Europa kein kultureller, sondern ein geografischer Begriff sei, genau das ist eingetreten.“

<sup>7</sup> meridiatio,-onis f. orig. *Siesta*.

<sup>8</sup> orig. „und es ein Volkssport ist, die Behörden übers Ohr zu hauen.“

praepositis Europae latus nos boreales homunciones<sup>9</sup> oneramur aere alieno terrarum meridionalium.

### **Non sentio me cum Graecis communitate coniunctum esse**

Difficultas est haec: Non sentio me communitate coniunctum esse cum Graecis aut Hispanis. Valdē quidem diligo eos Graecos Hispanosque, quos novi. At non puto me obligatum esse, ut mihi imponam curas eorum pecuniarias. Mihi ipsi iam curae sunt sat multae. Graeci autem nequaquam afflicti sunt vi naturali inevitabili, Graecae insulae nullā undā maris immani vastatae sunt – id quod Graecis accidit, effectum erat ab iisdem ipsis. Qui voluerant prius in otium se conferre, ut prius fruerentur pensione publicâ. Qui voluerant accipere salarium menstruum decimum tertium decimumque quartum. Mirabile! Utique accipient! Hoc fiat in Graeciâ. At ne fiat sumptibus meis.

Non sôlum verbum *democratiae* exorta est in Graeciâ. Etiam verba, quae sunt *chaos et crisis*.

Praepositi autem nostri supranationales de hac re aliter sentiunt. Tota enim eorum fides atque auctoritas cum illaqueata sit Unioni Europaea, isti contendunt Graecos nobis esse servandos, quia alioquin nos ipsi servari non possint. At hoc verum non est. Non flocci facio Graecos decoquere<sup>10</sup>. Scilicet postquam decoixerint nobis necesse sit servare nostras argentarias, quae Graecis temere crediderint milliardas, sed hoc erit onus levius quam illa onera molestissima, quae proximis annis Unio Europa nobis est impressura.

Gentes Europae meridionales aere alieno mirum quantum obrutae sunt – Unio enim Europa facultates effecit, quibus talia fierent, et Graeci et Hispani, qui sibi non temperabant, quin bracchia sua immergent extremis cistis Unionis Europaea thesaurariis, nil fecerunt nisi illis facultatibus abusi sunt quam vehementissime. Sine Unione Europaeâ, qui argentariis concessit, ut miliardas transferrent (ceterum praeceptores mensarum argentiarum et coryphaei pyramidum politicarum quadamtenus communicant universum supranationale sibi proprium<sup>11</sup>), illis nationibus numquam contigisset, ut contraherent tantum aeris alieni. Praepositi nostri politici servare nunc volunt Unionem, istanc compagm artificialem<sup>12</sup>, qua donaremur Belgâ incerto, quid faciat et constitutione, quam nemo legere sciat nisi peritus istius sermonis plumbei, quo utuntur magistratûs Bruxellenses. Istac compage donati sumus ministris publicis,

<sup>9</sup> orig. „uns Nordlichtern“.

<sup>10</sup> orig. „Die Griechen können von mir aus ruhig bankrottgehen.“

<sup>11</sup> orig.: „übrigens bilden die Top-Etagen der Banken und die Spalten der politischen Pyramiden einen eigenen supranationalen Kosmos“.

<sup>12</sup> orig. „dieses künstliche Konstrukt“.

qui nullo iam vinculo cum natione suâ eiusque cultu civili coniuncti fidem et communitatem imprimis accipiunt e propria suâ classe exclusivâ<sup>13</sup>.

### **Europam esse ideam fixam grapheocratarum<sup>14</sup> Bruxellensium**

Cum iuvenis proficiscerer ad iter per Europam faciendam, primo convectionem petiturus<sup>15</sup>, postea vecturus detrito autocinetu fabricationis 2CV, viximus in Oeconomicâ Communitate Europaeâ (EEG)<sup>16</sup> Quae a.1957 condita erat a civitatibus Beneluxianis (i.e. Belgio Bataviâ Luxemburgo) et Francogalliâ et re publicâ Germaniâ foederali et Italiâ. Quae res erat apta atque utilis. Nobis erat collaborandum, impedimenta oeconomica quam optimê superanda erant. Tales mansimus, quales fueramus. Germani habebant marcam suam solidam, tam certam firmamque quam est autocinetum Mercedes-Benzianum. Evidem habebam florenum\*, tam gratum et commodum<sup>17</sup> quam fuit mercator Batavus saeculi decimi septimi. Francogalli autem habebant francum suum elegantem, qui quadamtenus monebat Parisiensis cauponae cervesiariae frequentatissimae, et Itali habebant libellam suam, quae erat tantâ lasciviâ ac illecebrâ, quantâ sunt *Marcellus Mastroianni* et *Anita Ekberg* in cinemate Felliniano, c.t. "La dolce vita".

EEG insignis erat et unitate et varietate. Huic communitati praepositi erant magistratûs atque politici, quorum erat curare, ut negotiationes hominesque singuli facere possent negotia sua et ceteroquin unus iuxta alium viverent remissê. Nemo nos cogebat, ut periculum in nos reciperemus pensionis magistratûs Graeci solvendae – in quem incidebamus in cauponâ aliquâ Corcyrae aut Cretae, ei viro propinabamus et pecuniam solvebamus pro esculentis et potulentis sumptis, antequam ad alteram noctem ardentissimam sine temperaculo aero<sup>18</sup> degendam redambulabamus in deversoriolum modici pretii.

Brevi demum ante coepi verbo Graecitatis auditu sentire aliquid mali. Nunc scio, quales sint condiciones Graecae: tales enim, sub quibus homines pecuniam profundant, quam non sunt meriti. Verbum „Graecitatis“ mihi valuerat antiquitatem classicam, parietinas, mythos, columnas. At nunc hoc verbum me monet „fraudationis“.

<sup>13</sup> orig. „die den Bezug zu ihrem Land und ihrer Kultur verloren haben und Solidarität und Loyalität in erster Linie aus ihrer eigenen exklusiven Klasse erfahren.“

<sup>14</sup> \*grapheocracia,-ae f. (Egger, Latinitas 73,24-25); \*grapheocrates,-ae m. (Egger, op.mem. 73,25).

<sup>15</sup> convectionem petere i.q. theod. *per Anhalter fahren*.

<sup>16</sup> batavice „Europese Economische Gemeenschap (EEG)“; italice „Comunità economica europea (CEE)“; francogallice „Communauté économique européenne (CEE)“; theodisce „Europäische Wirtschaftsgemeinschaft (EWG)“; Europese Unie (EU); Unione europea (UE vel Ue); Union européenne (UE); „Europäische Union (EU)“. Anglice: European Union (EU); European Economic Community (EEC) sive Common Market.

<sup>17</sup> orig. „patent“. cfr DUDEN, Das große Wörterbuch der deutschen Sprache in 8 Bänden, Dudenverlag Mannheim etc. 2.ed., t.5, p.2500 s.v. „patent“: „1.praktisch und tüchtig und dadurch großes Gefallen findend...2.äußerst praktisch, sehr brauchbar.“

<sup>18</sup> temperaculum aerium (1.APUL.flor.6): orig. *Klimaanlage*, angl. air conditioner.

Non oblītus sum, quibus argumentis moneta euronis condīta esset, ut civibus Europae placeret. Nationales monetas nostras currentes non posse vitā superare mundum magis magisque globalem<sup>19</sup>. Euronem tam fortē fore, ut omnia problemata tollerentur. At ecce nunc in primum discrimen euronis verum adducti non iam credimus istas fabulas.

Homo aetate illius EEG per Europam iter faciens sciebat, quibus modis inter se different singularum gentium cultūs civiles. Multae illae schedae libellarum, quae Florentiā in urbe solvendae erant pro uno tantum pocillo cafeae expressae sumpto, peregrinum monebant societatis Italicae multiplicis, quae servare non poterat monetam suam stabilem. Quae societas Italica interim nihil amisit huius multiplicitatis, sed euronē eadem velata est. Nunc scimus hunc fuisse euronis effectum omnium gravissimum.

### **EEG fuisse communitatem Europae optimam**

Effectum est tabulatum grapheocratarum Bruxellensium additiciū, quod superest grapheocratiis nostris nationalibus. Autonomia nostra nationalis magis magisque deminuit, plus plusque potestatis traditur his grapheocratis novis. E plebiscitis omnibus apparebat, quam vehementer gentes Europae isti grapheocratiae diffiderent – quod praepositi politici nequaquam curabant. Qui senserunt non sufficere EEG. Potestatem in unum institutum cogendam esse. Succurrit munus praesidentis Europaei instituendum, qui agere posset cum praesidente et Americano et Russo aequo iure usus. Ex his cogitationibus vanissimis exorta est Unio Europaea incomposita atque perturbatissima<sup>20</sup>.

Nationes Europae omni ratione una alii multo sunt dissimiliores, quam ut ad unionem redigantur, in qua res publica a Graecis consideratur animo suspenso, ad anarchiam paene declinato, cum a Danis habeatur pro apparatu ordinis nimirum respiciendo, cuius lēges debeat tenēri. Si quis ex illis praepositis Europae supranationalibus per magnam partem vitae suae in compotatiunculis Bruxellensibus<sup>21</sup> inque lautissimis aeroportuum exedris praestolatoriis classis superioris<sup>22</sup> paene semper cum nemine conversatur nisi cum hominibus sui generis, facile fit, ut idem obliviscatur, quantum valeant cultuum civilium proprietates peculiares. Unio Europaea obriguit cultuali relativismo<sup>23</sup> ducum suorum. Nationes Europae, quamvis ab Unione Europaeâ lēges pecuniariae

<sup>19</sup> \*globalis,-e global.

<sup>20</sup> orig. „das Kuddelmuddel namens EU“.

<sup>21</sup> orig. „auf den Brüsseler Cocktailpartys“. \*compotatiuncula,-ae f. est vox ab Erasmo adhibita: ed. Dorey/Phillips: Thomson: The Latinity of Erasmus, London 1970, p.126.

<sup>22</sup> orig.: „in den Business-Class-Lounges der Flughäfen“.

<sup>23</sup> orig. „kultureller Relativismus“.

oeconomicaeque tamquam iacca coacticia<sup>24</sup> sibi induitae sint, pergit agere more nationum autonomorum. Unio Europaea homines meridionales non adiuvit, sed, ut nunc scimus, eorum vitia pessima stimulavit: avaritiam, negligentiam, nimium amorem sui, fraudulentiam, pecuniae effusionem.

EEG erat res ad Europam disponendam aptissima. At politici nostri ambitiosi obstinato animo perseveraverunt assequi rem sibi propositam tanti momenti, ut historicis esset memoratu digna: petiverunt enim Europam eo pacificè adunandam, quod sensim expugnaretur a novis grapheocratis europaeis. At nunc e discrimine Graeciae nobis appetit Europam non exstare. Europam esse ideam fixam grapheocratarum Bruxellensium.

### **Fore, ut Bruxellenses omnia bellulê moderentur**

Cum in urbe Bruxellarum disputaretur de constitutione Europaeâ, deliberabam, cur eiusdem patres fundatores neque spectarentur neque auscultarentur televisione<sup>25</sup> totius continentis Europae. Ubi haberentur ab illis orationes flagrantissimae? Ubi illi viri dicerent de animâ europaeâ deque ideâ Europae in orbe terrarum propagandâ? Constitutio autem europaea non effecta est a patribus fundatoribus vaticinantibus, sed a technocratis<sup>26</sup>, qui nunc praesagiant optimam sibi occasionem: Ut serventur aeraria nationum Maris Medii accolarum, solvendae erunt aliquot centum miliardae euronum. Ut aliter dicam: Aes alienum ab his nationibus contractum recipietur ab Unione Europaeâ, i.e. ab Europaeis vectigalia pendentibus eorumque liberis et nepotibus. Hac re septentrionalium nationum opulentia deminuetur, idque per complures generationes. Bruxellenses omnia bellulê moderati iis nationibus, quae adiuvabuntur, ne decoquant, dictabunt duras condiciones. Nisi contigerit, ut meridionales serventur, in Unione Europaeâ expedientur motra inflationis monetalis, ut aes alienum evaporetur unâ cum pecuniâ a nobis comparsâ<sup>27</sup>. Prima natio, quae hōc modo autonomiam suam transferet ad Bruxellenses, est Graecia. Quae fiet verus protectoratus<sup>28</sup> Bruxellensium. Deinde haec gens vetus, quae antiquitus praedita est cultu civili propriisque moribus et consuetudinibus, administrabitur a technocratis supranationalibus. Evidem suspenso animo exspecto, quamdiu ista res procedat pacificè<sup>29</sup>.

<sup>24</sup> orig. „Zwangsjacke“.

<sup>25</sup> \*televisio,-onis f.. theod. *Fernsehen* (Societas Latina 33; Acta Apostolicae Sedis 64,145). Instrumentum autem, quo \*telespectatur, est \*televisorium,-i n. (Eichenseer, Vita Latina 22/64,105).

<sup>26</sup> \*technocrates,-ae m. theod. *Technokrat*.

<sup>27</sup> „Wenn die Rettung scheitert, wird in der EU der Inflationsmotor anspringen, und die Schulden werden mitsamt unseren Sparguthaben verdampfen“.

<sup>28</sup> orig. Protektorat. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, p.434: „Protektorat \*protectoratus,-ūs m. (J.DONAT 41,2,185).“

<sup>29</sup> orig. „Ich bin gespannt, wie lange das gut geht“.

Pulchrum esset, si in civitatibus Unionis Europaeaee participibus, quibus nunc id quod aliae intrivârunt exedendum est<sup>30</sup>, fieret plebis scitum. Ut decerneretur, nonne Oeconomicâ Communitate Europae (EEG) redintegratâ et eurone abolito multo melius servarentur Europae pax et opulentia quam Unione Europaeâ (EU), quae nunc gemit eurone onerata. Pro certo autem habeo futurum fuisse, ut isti technocratae Bruxellenses, qui et Unione et eurone abolitis non iam essent occupati, nova munera eo invenirent, quod cauponii fierent in cauponis Graecis.

Interdum mihi accidit, ut in alicuius foruli ductilis<sup>31</sup> loco profundo manu offendam schedinumnum floreni. Nuper etiam invêni schedinumnum centum florenorum. Non, hunc non permutabo in euronis. Quem retinebo, usque dum denuo introducatur florenus. Et marca Germanica. Et libella. Et drachma. Et illa EEG.



**Leon de Winter, 56 annos natus, vivit Amstelodami et Angelopoli. Proximo edita est eius fabula romanica, cui titulus est theodiscus "Das Recht auf Rückkehr" (titulus originalis: „Het recht op terugkeer“, i.e. *Ius redeundi*, a.2008). Quam fabulam e Batavo sermone in theodiscum convertit Hanni Ehlers.**

<sup>30</sup> orig. „die die Zechen zahlen müssen“. cfr TER.Phormio 318 Tute hoc intristi (=intrivisti); tibi omnes exedendum. cfr AUSON.Bissula XXV 2 praef.5 tibi quod intristi (=intrivisti) exedendum est.


<sup>31</sup> forulus ductilis orig. *Schublade*. cfr Societas Latina/München, 53,14.

HANC SYMBOLAM  
A LEONE DE WINTER  
AUCTORE BATAVO  
SCRIPTAM  
ET  
IN PERIODICO INTERRETTIALI  
“spiegel-online”  
d.17 m.Maii a.2010  
DIVULGATAM

IN LATINUM CONVERTIT



**LEO LATINUS**  
**NICOLAUS GROSS**  
<http://www.leolatinus.com/>



**ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ  
FESTINA LENTE**

**GAIUS OCTAVIUS DIVUS AUGUSTUS  
(63 a.Chr.n. -14 p.Chr.n.)**

cfr SUETONIUS, De vita Caesarum, Divus Augustus 25.4: Nihil autem minus perfecto duci quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa iactabat: *σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλής γάρ ἐστ' ἀμείνων ἡ θρασὺς στρατηλάτης.* Et, sat celeriter fieri quidquid fiat satis bene. Altera sententia Graeca, quae valet 'cautus enim imperator melior est quam audax', invenitur apud Euripidem (Phoenissae 599).

## FESTÎNA LENTÊ

### Adagium Desiderii Erasmi (II.1.1)



**ΣΠΕΥΔΕ βραδέως<sup>1</sup>**, i. e. Festîna lentê. Proverbium hoc non invenustam aenigmatis speciem prae se fert, propterea quod constat ex verbis inter sese pugnantibus. Ideoque referendum ad eam formam, quam in operis huius initio demonstravimus, nimirum eorum, quae per ἐναντίωσιν, i.e. contrarietatem efferuntur.<sup>2</sup> Quod genus est illud: δυσδαιμονία εὐδαιμονία, i. e. *infelix felicitas*. Nec absurdê mihi coniectasse videatur, si quis effectum existimet ex eo, quod est apud Aristophanem in *Equitibus*, σπεῦδε ταχέως,<sup>3</sup> i. e. *Propera properē*, ut allusor, quisquis is fuit, τὴν ἀναδίπλωσιν in ἐναντίωσιν commutarit. Ad hunc autem figurae colorem, atque ad hanc allusionis facetiam non mediocrem gratiam adiungit tam commoda tamque absoluta brevitas, quae et ipsa velut in gemmis itidem et in adagiis, nescio quo modo peculiariter decêre mihi videtur et ad precii miraculum facere.

Etenim si vim ac sententiam aestimes, quam haec tam circumcisa vocum brevitas in se complectitur, quam sit foecunda, quam gravis, quam salutaris, quam ad omnem vitae rationem latê patens, profecto facile discesseris in hanc sententiam, ut in tanto proverbiorum numero non arbitreris ullum aliud esse perinde dignum, quod omnibus incidatur columnis, quod pro templorum omnium foribus describatur, et quidem aureis nōtis, quod in principalium aularum valvis depingatur, quod primatum inscalpatur annulis, quod regiis in sceptris exprimatur,

<sup>1</sup> cfr SUETONIUS, De vita Caesarum, Divus Augustus 25,4 (v. supra p.18!).

<sup>2</sup> Opera Erasmi ed. Iohannes Clericus., Lugduni Batavorum 1703, t.II, p.11 E.

<sup>3</sup> ARISTOPHANES, Equites 495.

denique quod omnibus ubique monumentis repraesentetur, propagetur, celebretur, ut quod tantopere expediat semper cuiusque obversari animo, quod nusquam non occurrat oculis, nulli quidem mortalium non maximo futurum usui, praecipue tamen principibus et iis, quibus, ut verbis dicam Homericis,

*Λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.<sup>4</sup>*

i. e. *commissi populi ac tam multa negocia curae.*

Quandoquidem a plebeiae sortis hominibus, si quid forte sit vel praetermissum socordiâ vel admissum temeritate, quemadmodum iactura levior, ita et incommodum, quod acceptum est faciliore remedio sarcitur. At vero principis vel unica cessatio semelve praecipitatum consilium, Deum immortalem, quas tempestates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarum ruinas secum trahit! Rursum, si adsit τὸ σπεύδειν βραδέως, h. e. *maturitas quaedam ac moderatio simul ex vigilantiâ lentitudineque temperata*,<sup>5</sup> ut neque per temeritatem quicquam faciat poenitendum neque per socordiam quicquam praetereat, quod ad reipublicae commodum pertinere videatur, quae te quid esse possit hōc imperio felicius firmius stabiliusque? Quamquam haec felicitas haud quaquam ipsis imperii terminis circumscribitur, quin undique longē latēque ad finitimos populos dimānat nec usquam aequē locum habet Hesiodium illud:

*Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς ὄνειαρ.*<sup>6</sup>

Proinde sic equidem existimo proverbium hoc, si quod aliud, optimo iure βασιλικόν, i. e. *regium* appellari debere, non tantum ob eam quam modo diximus causam, verum etiam quod duobus his vitiis ingenia principum ferē peculiariter videantur esse confinia. Nam fortunae favor, rerum affluentia, tam paratae voluptatum illecebrae, praeterea protinus licēre quicquid collubitum fuerit, denique pestilentissimum illud assentatorum εῦγε, semperque parati, quicquid quocunque modo dictum factumve fuerit, arrisus applausus adgratulatio, haec, inquam, atque id genus alia non mirum, si quibusdam socordiam concilient,

<sup>4</sup> HOMERUS, Ilias II, 25.

<sup>5</sup> cfr verba, quibus Erasmus infra (p.22) explicat, quid valeat proverbium: „Cuius haec est sententia: Festina lente, nam qui tuto citraque lapsum rem gerit, melior est quam audax et confidens. Tuttora sunt enim, quae lentis consiliis providentur, quam que calidis consiliis properantur.” – Item ibidem cfr notio maturandi.

<sup>6</sup> HESIODUS, Opera et dies 346. Hic versus valet haec (prorsa oratione): ,(Tantum) damnum (est) malus vicinus, quantum lucrum (est) bonus.’

maximē si his omnibus fomentis aetas iuventa contigerit et huius comes rerum imperitia. At e diverso fit nonnumquam ut insitus ille principum ingeniis vigor et impetus quidam, ut ita dixerim, leoninus, adauctus amplitudine fortunae, excitatus rerum maximarum successibus, inflammatus vel iracundiā vel ambitione vel aliis huiusmodi cupiditatibus, exstimulatus consiliis praeferocibus, transversos rapiat aliquoties ac tum ipsos, tum omnem imperii molem in praecipitum auferat. Quanquam si quidem in alterutram partem peccandum sit, non paulo praestiterit, regem impendio lentum esse quam plus aequo praecipitem.

Homerus Agamemnoni vitiosam quandam animi mollitiem, hoc est τὸ βραδέως, affinxisse videtur, ut eius nullum egregium facinus adferatur aut animosum, nisi cum ob ereptam Chryseidem stomachatur et Achillem suâ spoliat Bryseide.<sup>7</sup> Rursum Achilli parum moderatos impetūs, hoc est, τὸ σπεύδειν, attribuit, nisi cui tum σπεύδειν βραδέως videtur, cum in consilio districto gladio regem impetiturus a Pallade coeretur, admonitus, ut intra convicia duntaxat indignetur.<sup>8</sup> Atqui hoc ipsum erat impotentis animi, in frequenti principum consessu, tot probris, tam manifestis conviciis in eum debacchari, pēnes quem rerum erat summa.

Achillem imitatus videtur Alexander ille Magnus ac planē vicit, quippe quem eosque praecipitem egerit impetus animi, ut in amicissimos etiam ferrum destrinxerit.<sup>9</sup> Agamemnonem Sardanapalus<sup>10</sup> est aemulatus, sed ita aemulatus, ut longo praecesserit intervallo. Qui utriusque generis innumerabiles invenire liceat, qui vel huius inertiam vel illius ferociam referant; perpaucos autem reperias, qui proverbium hoc secuti tempestivam celeritatem cum prudenti tarditate rectē miscuerint, nisi quod pro multis unus sufficit, Fabius ille Maximus,<sup>11</sup> cui cognomen etiam additum Cunctatori; qui cum sibi laudem peperit immortalem, tum Romano imperio *cunctando restituit rem*<sup>12</sup> aliorum ducum inauspicatā celeritate iam ad extrema redactam.

<sup>7</sup> HOMERUS, Ilias I,318-347.

<sup>8</sup> id. ibid. I,193-211.

<sup>9</sup> cfr SENECA, Dialogi 5,17,1.

<sup>10</sup> Sardanapalus: rex Assyrius, qui haberi solet pro genuino tyranno orientali effeminato.

<sup>11</sup> Q.Fabius Maximus Verrucosus, cui cognomen erat Cunctatoris, a.217 a.Chr.n. clade ad lacum Trasumenum acceptâ factus est dictator.

<sup>12</sup> cf. VERG.Aen.6,845sq.

Itaque non sine causâ video factum ut hoc σπεῦδε βραδέως in tantum arriserit duobus imperatoribus Romanis omnium facile laudatissimis, Octavio Augusto et Tito Vespasiano, quorum utriusque singularis quaedam aderat animi magnitudo cum incredibili quadam lenitate facilitateque coniuncta, ut cum amabili morum popularitate omnium animos sibi devinxissent, nihilo secius tamen pari diligentia, si quando res virum postularet, celeriter res maximas confecerint.

Octavius igitur hōc dicto tam impensē delectatus est, quemadmodum in *Noctibus Atticis* libro decimo capite undecimo narrat Aulus Gellius,<sup>13</sup> et hunc secutus Macrobius *Satur.* lib. VI,<sup>14</sup> ut non in sermonibus modo quotidianis crebrius usurparet, verum etiam epistolis suis frequenter insereret, admonens his duabus vocibus, ut ad rem agendam adhiberetur simul et industriae celeritas et diligentiae tarditas. Quod quidem Gellius Latinis existimat unico verbo dici: *matura*.<sup>15</sup> Nam *maturari*, quod neque praeproperē fiat neque serius quam oporteat, sed ipso in tempore. In hunc sensum usurpasse Maronem, cum ait *Aeneidos* libro primo:

*Maturate fugam.*<sup>16</sup>

Quanquam omnino vox haec apud auctores significat idem quod festinare, sed ita festinare, ne tempus legitimum antevertas. Siquidem *festinata* rectē dixeris etiam praepropera, *maturata* non dixeris. Neque dissident ab his, quae Suetonius tradit in huius vitā: *Nihil*, inquiens, *minus in duce perfecto quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa iactabat*:

Σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλῆς γὰρ ἐστ’ ἀμείνων ἡ θρασὺς  
Στρατηγός<sup>17</sup>.

Haec fermē Suetonius. Est autem versus trochaicus tetrameter catalecticus ex poetā quopiam, ut coniicio, decerptus, cui Caesar de suo subiecit στρατηγός.<sup>18</sup> Cuius haec est sententia : *Festina lentē. Nam qui tuto citraque lapsum rem gerit, melior est quam audax et confidens.* Tutiora sunt

<sup>13</sup> GELLIUS, Noctes Atticae 10,11,5.

<sup>14</sup> MACROBIUS, Saturae 6,8,9.

<sup>15</sup> GELLIUS, loc.cit.

<sup>16</sup> VERGILIUS; Aeneis 1,137 (GELLIUS 10,11,6).

<sup>17</sup> i.e. Festina lente, cautus enim est melior quam audax imperator (SUETONIUS, Augustus 25,4). Hic versus invenitur apud Euripidem (Phoenissae 599, sed ibi desunt verba Σπεῦδε βραδέως et pro Στρατηγός legitur στρατηλάτης).

enim, quae lentis consiliis providentur, quam quae calidis consiliis properantur.

Iam vero dictum idem Tito Vespasiano placuisse ex antiquissimis illius nomismatis facile colligitur, quorum unum Aldus Manutius mihi spectandum exhibuit argenteum, veteris planèque Romanae sculpturae, quod sibi dono missum aiebat a Petro Bembo patricio Veneto, iuvene cum inter primos eruditos, cum<sup>19</sup> omnis literariae antiquitatis diligentissimo pervestigatore. Nomismatis character erat huiusmodi: alterā ex parte faciem Titi Vespasiani cum inscriptione praefert, ex alterā ancoram, cuius medium ceu temonem delphin obvolutus complectitur.<sup>20</sup> Id autem symboli nihil aliud sibi velle quam illud Augusti Caesaris dictum σπεῦδε βραδέως indicio sunt monumenta literarum hieroglyphicarum.

Sic enim vocantur aenigmatae sculpturae, quarum priscis seculis multus fuit usus, potissimum apud Aegyptios vates ac theologos, qui nefas esse ducebant sapientiae mysteria literis communibus vulgo profano prodere, quemadmodum nos facimus, sed si quid cognitu dignum iudicassent, animantium rerumque variarum expressis figuris ita repraesentabant, ut non cuivis statim promptum esset coniicere, verum si cui singularum rerum proprietates, si peculiaris cuiusque animantis vis ac natura cognita penitusque perspecta fuisset, is demum collatis eorum symbolorum conjecturis aenigma sententiae deprehendebat. Veluti cum Aegyptii Osirim suum, quem eundem Solem esse putant, significare volunt, inscalpunt sceptrum inque eo speciem exprimunt oculi, nimirum innuentes hunc deum esse, regalique potestate sublimem cuncta despicere, quia solem Iovis oculum<sup>21</sup> appellat antiquitas. Huiusmodi fermē refert Macrobius libro *Saturnalium* primo.<sup>22</sup> Item annum hōc modo demonstrabant: Effingebant serpentem ita circumvolatum, ut caudam ore teneret insertam, innuentes annum semper iisdem vicibus temporum reciprocantibus in sese recurrere.

<sup>18</sup> Non necesse erat Caesarem (i.e. Augustum) subicere hoc verbum, quia apud ipsum Euripidem iam legitur στρατηλάτης.

<sup>19</sup> Melius quadrat tum (cum...tum); fortasse est mendum typographicum editionis Lugdunensis.

<sup>20</sup> cfr H.Mattingly, E.A. Sydenham, *The Roman Imperial Coinage II* (London 1926), Titus 26 a. b (a.80).

<sup>21</sup> Etiam in *Adagio III* 3,15 Erasmus dicit Ab Aegyptiis Osirim aequatum esse Soli.

<sup>22</sup> MACROBIUS, *Saturae* 1,21,12sq.

Unde Servius autumat apud Graecos ἐνιαυτοῦ vocabulum attributum anno,<sup>23</sup> atque huc respexisse Maronem, cum ait:

*Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*<sup>24</sup>

Etiamsi Horus Aegyptius, cuius exstant duo super huiusmodi symbolis libri, serpentis sculptura non annum, sed aevum repraesentari tradit; annum autem tum Isidis, tum Phoenicis imagine.<sup>25</sup> Scripsit his de rebus Plutarchus in commentario *De Osiride*,<sup>26</sup> et Chaeremon apud Graecos, testimonio Suidae,<sup>27</sup> cuius ex libris excerpta suspicor ea, quae nos nuper conspeximus huius generis monimenta,<sup>28</sup> in quibus etiam haec inerat pictura:

Primo loco circulus, deinde ancora, quam medium, ut dixi, delphinus obtorto corpore circumpleteatur. Circulus, ut indicabat interpretamentum adscriptum, quoniam nullo finitur termino, sempiternum innuit tempus. Ancora, quoniam navim remoratur et alligat sisticque, tarditatem indicat. Delphinus, quod hōc nullum aliud animal celerius aut impetu perniciose, velocitatem exprimit; quae si scitē connectas, efficient huiusmodi sententiam: Άεὶ σπεῦδε βραδέως, i. e. *Semper festina lentē*.

Porro hoc scripturae genus non solum dignitatis plurimum habet, verum etiam voluptatis non parum, si quis modo rerum, ut dixi, proprietates penitus perspectas habuerit, id quod partim contingit solerti contemplatione rerum causarumque naturalium, partim liberalium cognitione disciplinarum.

Veluti si quis ex Aristotelicis libris, quos *de Naturali Auditu* inscripsit,<sup>29</sup> probē teneret analogiam quandam esse et similitudinem inter magnitudinem, motum ac tempus; nam horum trium unumquodque pariter in eodem existunt. Siquidem ut tempus adhaeret motui, ita motus adhaeret magnitudini. Quod in magnitudine punctum, hoc momentum in tempore, impetus in motu (liceat enim interim sic appellare, quod in motu minimum est, atque indivisible; neque enim de vocibus

<sup>23</sup> SERVIUS, Aeneis 5,85: qui nomen anni Graecum derivare audet a verbis, q.s. ἐν “in” et ἐαυτός “ipse”.

<sup>24</sup> VERGILIUS, Georgica 2,402.

<sup>25</sup> Ori Apollinis Niliaci Hieroglyphica (Venetiis apud Aldum 1505) 1,1; cf. 1,3 (Isis), 1,11 (Phoenix): cf. G. Boas, The Hieroglyphics of Horapollo (New York 1950) 28sq.

<sup>26</sup> PLUTARCHUS, De Iside et Osiride. 10 p.354fsq. 51p.371<sup>e</sup>.52p.372b.

<sup>27</sup> SUDA X,170.

<sup>28</sup> Ori Apoll.hierogl.1,1.

<sup>29</sup> ARISTOTELES, physica 4,6sqq.

laborandum, si de re conveniat). Iam igitur si in rectâ lineâ magnitudinem consideres, duo puncta reperies, quorum alterum sit initium duntaxat, alterum finis tantum, h. e. unde quasi fluit longitudo et in quod desinit. In eâdem si motum constituas, duos item reperies impetûs, alterum unde motus oritur, alterum in quem desinit. Horum ea ratio est, ut qui initium est, tantum eius motûs initium sit, qui finis, tantummodo finis. Motum tempus necessario comitatur. Est enim huius veluti regula, cuius naturam si separatim contemplâre, duo vides momenta (liceat enim ita loqui) alterum temporis illius initium, alterum finem. Rursum autem, si in eâdem lineâ consideraris, puncta magnitudinis, impetûs motûs, momenta temporis, quae media intercedunt inter initium et finem, vides horum uniuscuiusque velut anticipitem esse naturam. Etenim ad initium relata, fines sunt, ad finem, initia. Proinde ubi finita erit magnitudo, ibi simul et finitus motus et tempus finitum sit oportet. Finita est autem ea magnitudo, in quam tale competit initium, ut idem finis esse non possit, talis inquam finis, ut in eundem non cadat ratio principii, id quod evenit omnibus figuris exceptâ circulari, seu sphaericâ. Nam ut in hac nullum certum est punctum, quod propriè dici queat initium, nullum item quod ita sit finis, ut tantum eam recipiat appellationem, ita nec momentum huiusmodi ullum est nec impetus. Unde consequitur, ut ibi neque finita sit magnitudo neque motus finitus neque finitum tempus. Rursum ubi quodlibet magnitudinis punctum simul et initium et finis esse potest, ibi magnitudinem infinitam esse necesse est. Ad eandem rationem ubi quilibet impetus vel principium motus esse potest, vel finis, illic motus videtur infinitus. Demum ubi quodvis momentum simul vel initium temporis esse potest vel finis, ibi tempus infinitum oportet esse. Sed infinitum tempus aeternum vocamus, quod quidem aeterno respondet motui. Motus aeternus magnitudinem item aeternam requirit. Haec non possunt competere nisi in sphaericam aut circularem magnitudinem. Unde Philosophi quidam aeternitatem mundi collegerunt, quod animadverterent coeli universi, syderumque et sphaericam esse figuram et motum item esse sphaericum. Porro non sôlum in huiusmodi magnitudinem circuli ratio quadrat, verum etiam motus huic adhaerens circulus est quidam. Item tempus eum dimetiens motum, non respuit appellationem circuli, quemadmodum testatur etiam Aristoteles quarto

περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως libro<sup>30</sup>. Haec igitur atque id genus alia qui ex philosophorum disciplinis perdidicerit, is facile coniectabit, quam ob rem Aegyptii circulo sempiternum tempus exprimere voluerint.

Iam vero delphini vim naturamque paucis inspiciamus. Tradunt auctores hunc incredibili velocitate et admirabili impetu reliquum animantium genus longo intervallo post se relinquere. Proinde Oppianus libro *De Naturis Piscium* secundo, delphinos non cum quibuslibet avibus, sed cum aquilis confert:

Οσσον γὰρ κούφοισι μετ' οἰωνοῖσιν ἄνακτες  
Αἴετοι ἡ θήρεσσι μετ' ὀμηστῆσι λέοντες,  
Οσσον ἀριστεύουσιν ἐν ἔρπυστῇρσι δράκοντες,  
Τόσσον καὶ δελφῖνες ἐν ἵχθύσιν ἥγεμονῆες.<sup>31</sup>  
i. e. *Quippe citas quantum inter aves, insignis honore  
Regali, reliquas aquila praevertitur omneis  
Inque feris leo crudivoris, saevique dracones  
Serpentum in genere exsuperant, tantum impete<sup>32</sup> Delphin  
Eximus vincit regnantes aequore pisces.*

Confert et iaculo:

Διὰ γὰρ βέλος ὥστε Θάλασσαν  
Ἴπτανται<sup>33</sup>  
i. e. *Namque per aequora lata sagittae  
More volant.*

Denique confert etiam vento vel turbini potius ac procellae ventorum:  
Ἄλλοτε μὲν βαθὺ κῦμα διατρέχει ἡύτε λαίλαψ.<sup>34</sup>

i. e. *Altas aliquando per undas  
Turbinis in morem discurrit.*

Plinius libro *Historiae Mundi* nono, cap. octavo, Aristotelis secutus sententiam haudquaquam ab his discrepantia refert,<sup>35</sup> videlicet delphinum omnium animalium pernicissimum esse, neque id solum inter maritimi generis, verum etiam volucri quavis ocyorem, quovis acriorem telo. Singularem autem huius velocitatem hōc potissimum

<sup>30</sup> ARISTOTELES, physica 4,6sqq.

<sup>31</sup> OPPIANUS, Halieutica 2,539sqq.

<sup>32</sup> impes, impetis m. = impetus.

<sup>33</sup> OPPIANUS, ibid.2,535sq..

<sup>34</sup> ibid.2,587.

<sup>35</sup> PLINIUS, Historia Naturalis 9,(8),20sqq.

argumento colligi, quod cum ôs habeat longo dissitum intervallo a rostro, nempe medio p~~a~~ene ventre, quae res in consecundis piscibus non mediocrem illi moram adferat necesse est, neque enim nisi resupinus atque conversus corripit, tamen vix ullus est piscium qui illius effugiat celeritatem. Nec ignorat ipse hanc naturae dotem, sed veluti laudis animive causâ certat aliquoties cum naviis plenis velis euntibus. Est enim praecipuê φιλάνθρωπος delphin, quin et παιδεραστὴν aiunt nonnulli, et ob id capitalis est hostis crocodili, quo non aliud animal infensius homini. Itaque non pavescit hominem ut alienum, verum obviam naviis venit, alludit exsultans, certat etiam et quamvis plena praeterit vela. Quin etiam in mugilum venatu apud stagnum Laternam<sup>36</sup> magnificē declarat, quantum valeat celeritate, quantum polleat ingenio, quantum denique bene velit homini.<sup>37</sup> Iam vero quid dicam de impetu vix credibili? Siquidem ubi fame concitatus fugientem in vada ima persecutus pisces diutius spiritum continuit, non aliter quam arcu emissus ad respirandum emicat tantâque vi exsilit, uti plerunque vento turgentia vela navium saltu transvolet. Quod igitur symbolum magis conveniebat ad exprimendum acrem illum et indomitum animi impetum quam delphini?

Porro ad significandam tarditatem cunctionemque non male quadrabat ἔχενηίς piscis, quem Latini remoram vocant;<sup>38</sup> verum quoniam huius figura parum cognobilis videbatur (nam praeterquam quod admodum pusillus est, nec ullâ insigni nōtâ discernitur), magis ad id placuit ancorae symbolum, quae si quando periculosē navigatur ob ventos nimium secundos, ibi cursum immoderatum navis figit ac retinet.

Itaque dictum hoc, σπεῦδε βραδέως, ex ipsis usque priscae philosophiae mysteriis profectum appareat, unde adscitum est a duobus omnium laudatissimis imperatoribus, ita ut alteri adagionis esset loco, alteri insignium vice, utriusque moribus ingenioque mirē quadrans.

Nunc vero in Aldum Manutium Romanum ceu tertium haeredem, devénit:

<sup>36</sup> **Later[n]a** est locus in Gallia Narbonensi meridionali, prope unam ex paludibus litoralibus, inter ora fluminum *Hérault* et *Rhône* situs. Fortasse est i.q. hodie appellatur *Étang de Lattes*.

<sup>37</sup> PLINIUS, Naturalis Historia 9,29 Est provinciae Narbonensis et in Nemausiensi agro stagnum Latera appellatum, ubi cum homine delphini societate piscantur.

<sup>38</sup> cfr PLUTARCHUS , Quaestiones convivales 2 p.641bsqq. PLINIUS, Naturalis Historia 32,5sq..

*Haud equidem sine mente reor, sine numine divum.*<sup>39</sup>

Nam huius eadem, quae quondam Tito Vespasiano placuerunt, celebrantur insignia,<sup>40</sup> non notissima modo, verum etiam gratissima quibuscumque ubivis terrarum bonae literae vel nōtae sunt vel charae. Neque vero symbolum hoc tum illustrius fuisse crediderim, cum inscalptum imperatorio nomismati negotiatorum manibus terendum circumferretur, quam nunc, cum ubique gentium vel ultra Christiani imperii terminos, unā cum omnigenis utriusque linguae voluminibus propagatur agnoscitur tenetur celebratur ab omnibus, qui liberalium studiorum colunt sacra, praesertim iis, qui fastiditā barbarā istā pinguique doctrinā ad verum atque antiquam aspirant eruditionem, ad quam restituendam vir is quasi natus et ab ipsis, ut ita dixerim, fatis factus, scalptusque videtur: tam ardentibus votis unum hoc optat, tam infatigabili molitur studio, usque adeo nullum refugit laborem, ut literaria supellex et integra et syncera puraque bonis ingeniis restituatur. Quam quidem ad rem quantum iam attulerit momenti, tametsi fatīs, p<a>ene dixerim, invitīs,<sup>41</sup> res ipsa nimirum indicat. Quod si pulcherrimis planēque regiis Aldi nostri votis aeus aliquis bonis literis amicus adspiraverit, et si quem numina laeva sinant,<sup>42</sup> intra paucos annos illud futurum polliceor studiosis, ut quicquid est bonorum auctorum in quatuor linguis, Latinā, Graecā, Hebraicā, Chaldaicā, tum autem in omni genere disciplinarum, id unīus huius operā, et plenum habeant et emendatum, nullamque iam literariae supellectilis partem quisquam desideret. Quod simul atque contigerit, tum vero palam fiet, quantum adhuc bonorum codicum in abdito sit, vel retrusum ob negligentiam, vel suppressum quorundam ambitione, quibus hoc unum cordi est, ut sōli sapere videantur. Tum denique cognitum erit, quam prodigiosis mendis scateant auctores etiam hi, qui nunc satis emendati putantur. Cuius rei si cui libebit velut ex degustatione coniecturam facere, Plinianas epistolas, quae propediem ex Aldinā officinā prodibunt in lucem, cum vulgatis exemplaribus conferat,<sup>43</sup> quodque ibi deprehenderit, īdem in aliis exspectet auctoribus.

<sup>39</sup> VERGILIUS, Aeneis 5,56.

<sup>40</sup> Insignia Aldi typographi ab imagine monetae (qualis etiam in monetis Domitiani saepe invenitur) eo differunt, quod in insignibus typographicis delphinus non prosicit dextrorum, sed sinistrorum.

<sup>41</sup> Propter tumultus bellicos illorum annorum in officina Aldina pauciora opera impressa erant quam antea.

<sup>42</sup> VERGILIUS, Georgica 4,6sq.

<sup>43</sup> Quae epistulae Plinianae editae sunt a.1508.

Herculanum mehercule facinus,<sup>44</sup> ac regio quodam animo dignum, rem tam divinam quasi funditus collapsam orbi restituere, latentia perversigare, eruere retrusa, revocare extincta, sarcire mutila, emendare tot modis depravata, praecipue vulgarium istorum excusorum vitio, quibus unius etiam aureoli lucellum antiquius est, quam vel universa res literaria.

Adde iis, quod quantumlibet exageres eorum laudem, qui resplicas suâ virtute vel tuentur vel etiam augent, in re certê prophanâ, tum angustis circumscripta spatiis versantur. At qui literas collapsas vindicat, nam id penē difficilius quam genuisse, primum rem sacram molitur et immortalem, tum non unius alicuius provinciae, sed omnium ubique gentium, omnium seculorum negocium agit. Postremo quondam principum hoc munus erat, inter quos praecipua Ptolemaei gloria. Quanquam huius bibliotheca domesticis et angustis parietibus continebatur; Aldus bibliothecam molitur, cuius non alia septa sint quam ipsius orbis.

In hanc digressiunculam non abs re mihi videor exspatiatus, nempe quo studiosi hôc impensius his insigniis et faveant et delectentur, postea quam cognoverint a tam inclytis auctoribus fluxisse, praeterea quid sibi velint intellexerint, denique cum meminerint quantum bonae rei delphinus ille policeatur, si quis modo deus pulcherrimis conatibus dexter adfuerit.

A diverticulo repetetur fabula, si prius exposuero querelam de typographis quibusdam pessimê de re literariâ merentibus. Non est nova querimonia, nunquam tamen iustior quam hisce temporibus, quibus haec mihi quarta, ni fallor, parabatur editio. Ea fuit anno 1525.

Venetorum urbs multis quidem nominibus celeberrima, per Aldinam tamen officinam celebrior est, adeo ut, quicquid librorum isthinc adfertur ad exteris nationes, ob civitatis tantum titulum ilico sit vendibilius. Atqui eius nominis lenocinio sordidi quidam typographi sic abutuntur, ut vix ab ullâ civitate nobis veniant auctores impudentius, depravati, nec ii sanê quilibet, sed omnium primi, velut Aristoteles, M. Tullius, et Quintilianus, ne quid querar de sacris voluminibus.

---

<sup>44</sup> cf. Erasmi adagium III,1,1.

Curatum est legibus, ne quis consuat calceum, ne quis faciat scrinium, nisi fuerit ab eius opificii sodalitio comprobatus. Et tantos auctores, quorum monumentis etiam religio debetur, emittunt in vulgus adeo literarum ignari, ut ne legere quidem possint, adeo ignavi, ut nec releggere libeat quod excuditur, adeo sordidi, ut citius patiantur sex milibus mendarum oppleri bonum librum, quam paucis aureolis velint conducere qui praesit castigationi. Nec ulli magnificentius pollicentur in titulis, quam qui impudentissime depravant omnia.

Ex legum auctoritate datur redibitio, si quis pannum ut coco tinctum vendiderit, si deprehendatur in tincturâ nihil additum cocci; quin multâ afficitur, quisquis in huiusmodi mercibus fucum fecit. Et lucro suo vel furto potius fruitur, qui eâdem operâ tot hominum milibus imponit? Olim et in describendis libris adhibebatur religio non minor quam nunc adhibetur in notariis publicis ac iuratis, certê maior debebatur, nec aliunde tam prodigiosa librorum confusio profecta est, quam quod obscuris quibuslibet et monachis imperitis, mox etiam mulierculis citra delectum rei tam sacrae tractatio committebatur. At quantulum est mali, quod adfert scriba negligens aut indoctus, si conferas typographum? Et hic oscitant lêges publicae.

Punitur, qui vendit pannum apud Britannos tinctum pro panno tincto apud Venetos. Et audaciâ suâ fruitur, qui meras cruces et ingenii tormina vendit pro bonis auctoribus. Dices, non est venditoris emptori praestare quodvis vitium. Certê hîc debebat esse, si titulus promittit exactam diligentiam et liber scatet mendis. Et sunt errata, quae nec ab eruditis statim deprehenduntur. Iam typographorum innumerabilis turba confundit omnia, praesertim apud Germanos.

Non licet cuivis pistorem esse, typographia quaestus est nulli mortalium interdictus. Nec tutum est quidvis pingere aut loqui, at quamvis materiam excudere fas est. Ubi terrarum non volitant novorum libellorum examina? Quorum si singuli adferrent aliquid scitu dignum, tamen ipsa turba studiis vehementer officeret, vel ipsâ satietate, quae bonis in rebus est multo perniciosa, vel hîc ipso, quod his velut illecebris animi hominum naturâ apsicori<sup>45</sup> et novarum rerum avidi,

sevocentur a lectione veterum scriptorum, quibus nihil melius proferri potest. Etiamsi non inficiar a neotericis aliquid inveniri posse, quod illos fugerit. Existere potest, verbi causâ, qui doceat aliquid quod latuerit Aristotelem, nullum tamen arbitror exoriturum qui philosophiae corpus tradat absolutius, quam ille tradidit. Sic erit fortassis qui in literis sacris videat quaedam, quae fefellerint Chrysostomum aut Hieronymum; at non arbitror fore, qui in summâ praestet, quod illi praestiterunt. Nunc illis propemodum antiquatis, omnibus omnium naeniis terimus horas; negliguntur interim honestae disciplinae cum suis auctoribus, collabitur auctoritas senatum conciliorum scholarum iureconsultorum ac theologorum. Quod si res perget qua coepit, futurum est ut summâ rerum ad paucos redactâ barbarica quaedam tyrannis sit apud nos, qualis est apud Turcas. Unîus aut paucorum libidini parebunt omnia nec erunt politiae civilis ulla vestigia, sed militari violentiâ gubernabuntur universa. Iacebunt omnes honestae disciplinae, lex una vigebit, sic vult ὁ κοσμοκράτωρ. Religionis antistites aut nullo erunt in precio, aut si quid habebunt opum dignitatisve, id totum serviet iis, quorum non iudicio, sed nutu ac renatu temperabuntur omnia.

Quanto melius consuleretur rebus humanis, si quemamodum in elementis mundi alia ab aliis sic temperantur, ut aeterno foedere consistant omnia, sic in republicâ sua cuique legitima maneret auctoritas, populo tribueretur quod aequum est, senati ac magistratui tantum concederetur, quantum eruditio leges et aequitas pateretur, episcopis ac sacerdotibus suis maneret honos, nec monachis negaretur quod debetur. Horum omnium concors discordia et eodem tendens varietas longè fidelius servaret reipublicae statum quam nunc, dum quisque ad se rapere conatur omnia. Ne familia quidem potest consistere, nisi maritus functionis partem cedat uxori, ni discrimin sit inter liberos et servos et nisi servi quoque non pro iumentis habeantur, sed pro hominibus, postremo nisi discrimin sit inter servum et servum, ut qui liberaliter serviunt, habeantur indulgentius ac praemium officiorum exspectent libertatem.

---

<sup>45</sup> **apsicorus** = gr. ἀψικόρος Liddle/Scott 299: „quickly sated“. Cfr Antonio de Nebrija, Dictionarium Medicum, Amberes 1545, p.116: “Pharmacitae – apsicori, qui simul ac cibum attingunt, exurgunt saturi.”

Dicet hîc aliquis: heus divinator, quid haec ad typographos? Quia non nullam mali partem invehit horum impunita licentia. Implet mundum libellis, non iam dicam nugalibus, quales ego forsitan scribo, sed ineptis indoctis maledicis famosis rabiosis impiis ac seditiosis, et horum turba facit, ut frugiferis etiam libellis suus pereat fructus. Provolant quidam absque titulis aut titulis, quod est sceleratus, fictis. Deprehensi respondent, detur unde ālam familiam, desinam tales libellos excudere. Aliquanto meliore fronte respondeat fur, impostor aut leno, da qui vivam et desinam his artibus ūti; nisi forte levius crimen est clam minuere rem alienam, quam palam eripere famam alienam, aut sine vi ad quaestum abūti tuo alienove corpore, quam vitam alterius ac famam vitâ quoque chariorem impetere.

Sed querelae iam dudum satis. Indicandum est remedium. Mitigabitur hoc malum, si principibus ac magistratibus curae fuerit, ut quantum fieri potest excludantur ociosi, quos potissimum bella mercenaria nobis progignunt; deinde si improbis, quos nec ratio nec pudor cohibet, lèges ostendant fustem paratum, ni se verterint ad meliora; deinde conantibus ea, quae faciunt ad publicam utilitatem, si viribus destituantur, succurrant praemia, vel a principibus vel ab episcopis et abbatibus vel ex aerario publico. Nam a negociatoribus, qui se plerique Mammonae dedicarunt, fortassis improbum sit tale officium exigere. Qui exstructo altari sepulchrove, qui suspensâ tabulâ aut statuâ positâ, sibi promittunt nomen apud posteros, quanto vivaciorem famam hac viâ sibi pararent! Ex multis unum exemplum proferam. Vix alias in enarrandis sacris voluminibus dexterius versatus est, quam divus Ioannes Chrysostomus, nec alias scriptor magis accommodus his, qui se parant ad munus concionandi. Et scripsit plurima, quorum bonam partem habemus utcunque versam, sed plerisque depravatis, nonnullis etiam admixtis, quae nihil habent Chrysostomi. Quanta vero lux accederet sacris studiis, si tantus doctor totus haberetur Graecus et emendatus,<sup>46</sup> aut certê sic haberemus eum loquentem Latinê, quemadmodum loquitur Graecê. Non hic commemorabo, quot modis pereant magnatibus pecuniae, quantum absumant alea, scorta, compotationes, profectiones non necessariae, pompa, bella quaesita, ambitio, colax, morio, ludio; saltem ex his, quae turpiter pereunt, aliquam portionem decidunt vel utilitati

---

<sup>46</sup> Erasmus ipse curavit Chrysostomum edendum (Basileae, apud Froben, a. 1530).

publicae vel suaे gloriae vel utriusque. Aldo haec molienti quis non favit eruditorum? Quis non suggessit aliquid, quod illum laboribus tantis imparem sublevaret? Quoties ad illum ab Hungaris ac Polonis missa sunt ultro vetusta exemplaria, non sine honorario munere, ut ea iustâ curâ publicaret orbi? Quod Aldus moliebatur apud Italos, nam ipse concessit in fata, quanquam gratiosi nominis titulo adhuc commendatur officina, hoc Ioannes Frobenius molitur apud Cisalpinos, non minore studio quam Aldus nec prorsus infelicit, sed quod negari non potest, impari lucro. Si causam requiras, ex multis hanc unam esse puto, quod non est idem ingeniorum candor apud nos, qui est apud Italos, sanê quod ad rem attinet literariam. Nec enim vereor praedicare, quod sum expertus.

Cum apud Italos éderem Proverbiorum opus homo Batavus, quotquot illîc aderant eruditi ultro suppeditabant auctores nondum per typographos evulgatos, quos mihi suspicabantur usui futuros. Aldus nihil habebat in thesauro suo, quod non communicaret. Idem fecit Ioannes Lascaris, Baptista Egnatius, Marcus Musurus, Frater Urbanus.<sup>47</sup> Quorundam officium sensi, quos nec de facie nec de nomine neveram. Venetiam nihil mecum apportabam praeter confusam et indigestam operis futuri materiam, idque ex evulgatis duntaxat auctoribus. Magnâ meâ temeritate simul utriusque sumus aggressi, ego scribere, Aldus excudere. Summa negotii intra menses plus minus novem confecta est, et interim mihi cum calculo malo nondum nôto res erat. Hîc mihi cogita quanta pars utilitatis abfutura fuerit, nisi docti libros manu descriptos suppeditassent. In his erant opera Platonis Graeca, Plutarchi vitae, eiusdem *Moralia*, quae sub finem operis mei coepta sunt excudi.<sup>48</sup> Athenaei *Dipnosophistae*, Aphthonius, Hermogenes cum commentariis, Aristotelis *Rhetorica* cum scholiis Gregorii Nazianzeni. Aristides totus cum scholiis, commentarioli in Hesiodum ac Theocritum, Eustathius in totum Homêrum, Pausanias, Pindarus cum accuratis commentariis, Proverbiorum collectio titulo Plutarchi, rursus alia titulo Apostolii, cuius libri nobis copiam fecit Hieronymus Aleander. Erant et alia minuta, quae vel non succurrunt vel non attinet referre. Horum nihil adhuc fuerat typis evulgatum.

<sup>47</sup> De Iohanne Lascare et Marco Musuro cfr Deno J. Geanakoplos, Greek scholars in Venice, Cambridge Mass. 1962. Frater Urbanus = Fra Urbano di Belluno.

<sup>48</sup> Quae edita sunt a. 1509.

Nunc vicissim accipe candorem amici cuiusdam Cisalpini, quem in praecipuis habebam nec habere desii, quandoquidem *amici mores nosse oportet, non odisse.*<sup>49</sup> Cum adornarem editionem Venetam, forte videram apud illum Suidam, cuius margines habebant paroemias annotatas. Opus erat ingens et erant evolvenda plurima. Cupiens igitur hoc laboris lucrifacere, rogavi faceret eius voluminis copiam vel ad horas paucas, dum puer nōtulas in meum codicem transcriberet. Iterum atque iterum roganti pernegavit. Cum nullum obtestationis genus non admovissem, nec exorarem, rogabam num ipse haberet in animo êdere proverbia; me cessurum perlubenter hoc opus felicius tractaturo. Deiurabat nihil esse tale. Quid igitur, inquam, te movet? Tandem veluti tormentis adactus fassus est haec iam evulgari, per quae docti hactenus fuissent vulgo mirandi. *Hinc illae lachrimae!*<sup>50</sup> Latitant in collegiis ac monasteriis Germanorum, Gallorum et Anglorum pervetusti codices, quos exceptis paucis adeo non communicant ultiro, ut rogati vel celent vel pernegent vel iniquo precio vendant usum, decuplo aestimatorum codicum. Tandem pulcrê servatos vel caries tineaeque corrumpunt vel fures auferunt.<sup>51</sup>

Magnates autem adeo non adiuvant suâ benignitate rem literariam, ut existiment nullam pecuniam perire perditius quam quae in tales usûs consumitur; neque quicquam omnino placet illis, unde non vectîgal aliquid tollitur. Quod si pari candore principes Cisalpini prosequerentur honesta studia cum Italis, Frobeniani serpentes non tantum abessent ab opibus delphinis Aldini. Ille lentê festînans non minus auri sibi peperit quam nominis, utroque dignus; Frobenius dum baculum semper erectum gerit non alio spectans quam ad publicam utilitatem, dum a columbinâ simplicitate non recedit, dum serpentum prudentiam<sup>52</sup> magis exprimit insigniis suis quam factis,<sup>53</sup> famâ potius dives est quam re.

Sed digressionum iam modus esto, nunc ad adagionis enarrationem nostra sese referat oratio.

<sup>49</sup> cf. MENANDER Monsosticha 535. PUBLILIUS SYRUS Sententiae A 56.

<sup>50</sup> TERENTIUS, Andria 126 (HORATIUS, Epistulae 1,19,41), cf. ERASMUS, Adag.I,3,68.

<sup>51</sup> cf. MATTH.6,19sq.

<sup>52</sup> cf.MATTH. 10,16.

<sup>53</sup> Quibus verbis alludit ad insignia Frobenii typographica.

Trifariam ûti licebit proverbio: primum, si quando admonebimus diutius deliberandum, prius quam aggrediare negocium; postea quam statueris, tum velociter peragendum, ut ad consultandi moram pertineat ancora, ad conficiendi celeritatem delphinus.

